

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

XXXII. Origines Pomeranicae

urn:nbn:de:bsz:31-102564

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

QVorum testimonia adferuntur, vel respiciunt illas regiones, quas hodie Pomerani colunt, in quantum a Vandalis, Svevis, ad Gothorum usque limites tenebantur; ubi multo apud me loco sunt Strabo, Pomponius Mela, Plinius maior, Tacitus, Ptolemaeus: vel in quantum a Venedis, Vandalorum, Svevorum, Carinorum successoribus habitatae sunt, in quibus cognoscendis excelluit industria Iornandis, cum quo coniungere licet Procopium, Theophylactum Simocattam, quanquam Procopius ratione eorum, quae prodidit de Vandalis, adiungendus est primae classis, eodemque respectu Zosimus; at quatenus memorat de Slavinis, ad alteram pertinet, accedentibus ex medio aevo aliis, quorum fides atque diligentia nulla cuiusquam commendatione egent, interque hos sunt Adamus Bremensis, praecipue Helmoldus, post eos ex XIII. Seculo Conradus Urspergensis, Albertus Stadenfis, auctor anonymus Ecclesiastici tabularii Bambergensis, cuius apud omnes bene sentientes permagnum momentum est: VVitichindus Slavos VVollinenfes, Redarios, illiusque in hac parte similis Ditmarus Episcopus five generatim Slavos, five speciatim Redariorum quandoque nomine expressos commemorat, nondum in consuetudinem recepto vocabulo Pomeranorum. Vel in quantum, praeter Venedos, referunt advenas recentiores, exempli gratia Saxones, quorum historiam omni diligentia profervuntur, qui ab Sec. XV. usque ad nostrum res Pomeranorum five universae, five sigillatim quorundam, aut saltem insigniorum locorum complectuntur.

2. Faciunt insuper ad hoc institutum scriptores exteri, praesertim Danicarum rerum intelligentes, cuiusmodi sunt Io. Isacius Pontanus, admiranda vir industriae, Nicolaus Helvaderus, unde expediamus plerasque litteras finium regundorum, ex Polonis Prusisqve Alexander Gagvinus, Martinus Polonus, Michovius, Caspar Schutzius, ex Marchicis non praeter rem addentur A. Angelus Sruthiomontanus, Entzelius, et similes.

3. Inter Chronica domestica laudem habent Stetinense, Gryphisvaldense, quorum illud magnopere expetunt eruditi, et commutato nomine vocant Iacobaeum, atque eo loco habent, quo non facile ullum aliud. Neque hic nescimus Pauli Fridebornii, qui Crantzius et Iobstenium quandoque, ac merito, notat, Chronicon Stetinense, et quod Otto Ramminus scripsit ad decus huius orbis. Ad Stralsundica omnes nervos atque industriam contulit Zacharias Orthus carmine non inerudito.

4. Ex reliquis, qui huc attulerunt operam, alii aliis magis ingenio, Ppp 2 otio,

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

otio, monumentisque abundarunt, inter quos non mediocri laude dignos se praestiterunt Pomarius, et qui hunc perliberali testimonio laudat sequiturque Cramerus, tum vero praeter hos et plerique ante in eo genere amplexi diligentiam sunt Iohannes Pomeranus, vero cognomine Bugenhagius, Petrus Artopaeus, ille Zeillero, hic Munstero laudatus editusque, Valentinus Eickstadius (al. ab Eickstetten) qui in recondita rerum tabularumque sanctiorum Pomeraniae notitia facile familiam ducit, Thomas Kantzovius, Ioachimus VVedelius, Nicolaus Mareschalcus, quorum annales atque chronica multum curae laborisque cum iudicio suscepti praefecerunt, nec omitendi sunt Ioach. Balckius, Melch. Nehelius, VVintherus, quorum iste Chr. rhythmico celebris, hi nomine historiae civilis maiorem fructum praebent: demum instar omnium esse potest Iohannes Micraelius, qui quum in reliquis, quae condidit operibus, nomina auctorum, quibus usus est, praetermisisset, hic velut sub uno aspectu praecipuos ponit, et annos atque acta pulchre diligenterque contendit.

5. Nec nihil hic affecti sunt Saxonici scriptores, praesertim Crantzius, Dav. Chytraeus, cumque his in eodem studio versatus est in Svevia Martinus Zeillerus, de Rugis etiam multa eruit Iohannes Regkmannus in Chron. Lubecensi.

6. Episcopatus Caminensis, qui ab eo tempore, quo Pomerania imperio ipse Pomeraniae olim sine singulari Ordinis imperii iure ac dignitate innexus est, historia constat ex P. VVuia, conf. H. Conringius annot. ad Lampad. p. 311. et Sprenger in Lucern. p. 288.

7. Tabulae Principum stirpis, quae Gryphorum dicitur, sive confectae, sive illustratae sunt a Davide Chytraeo, Hier. Henninges, Ant. Albitzio, unde Duces Pomeraniae descripsit Gvaltherius Belga in Chronico Chronicorum Polit. a p. 1064. usque ad 1068. Iohanne Engelberto, Io. Butovio, Mart. Marstallero, Rudolpho Diepholdo, curante Henrico Sannemanno, Andr. Hildebrando, Elia Reufnero, Petro Bertio, Gabriele Bucelino, Nicolao Rittershusio, Tobia VVagnero, Phil. Iac. Spenero, et id genus aliis, qui tabulas genealogicas reliquerunt.

8. Tabulam Pomeraniae Geographicam publica autoritate composuit Eilhardus Lubinus, perinde ut Prussicam Caspar Hennebergerus, de quo alias diximus.

9. Proximum his est, ut tradamus de terrae ingenio atque opibus, quae ex solo proveniunt, sed quum id iamdudum factum sit ab aliis, nunc satis habeamus nominare Severinum Goebelium, qui de electro, unde post Prussiam Pomerania celebratur, copiose explanateque differuit.

10. De actis Pomeraniae novissimis graviter et egregie commentatus est Bogislaus Philippus Kemnitz, quippe tabulariis Svedicis et Commentariis Ochsenfirmianis usus, atque ex eo Hermannides et Zeillerus, tum Adolphus Brachelius et Christianus Adolphus Thuldenus, sed uterque interdum studio partium obnoxius, hic vero magis, et recte a Io. Loccenio castigatus, ac praeterea impar stylo, nequid addam de Io. Micraelio et Io. Cluvero: reliqua sciri a quolibet, et colligi ex Theatro Europaeo possunt.

I.

Pomerani, quatenus ad memoriam posteritatis pertinent, longis inter Vistulamque sedibus positi, (a) unde hoc nomen adepti sint, (b) prius causam et modum, quam quas res gesserint, tradam, tradere autem inducti neque ad invidiam, neque in gratiam gentis.

(a) Testis sunt non leves, iique minime pauci, & studio diligentiaque consecuti, ut plurimum ipsis triubatur. Iornandes ab seculo VI. scriptor suffragatur, & fidem facit. Venedos, quorum pars Pomerani sunt, ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia venisse, ac frequentissimo numero illic con-sedisse. Vistula ergo aut est principium, aut terminus numerandi Pomeranos: illo modo, qui Iornandis instituto respondet, Slavos cis-Oderanos, hoc trans-Oderanos vocabimus, qui pertinet ad mentem scriptoris scholiorum in Adamum Bremensem, quemque declaravimus in dissertatione de rebus Pruss. Not. ad §. 2. Spectat huc tabula Germaniae in recensione Ptolomaei Munsteriana. De Procopio, qui eodem seculo prodidit de Slavis, cujusque editio Hoescheliana apud me est, vid. Ioh. Matth. a Suderis, Adamus Bremensis exploratissimae viri industriae, et magnae apud nos auctoritatis Hist. Eccles. l. 1. cap. 13. graviter affirmat, *Oddoram vergere in Boream, ac transire per medios Vinulorum populos donec perveniat ad Iummam, ubi POMERANOS dividat a Wileziis.* Eadem verba exscribunt Helmoldus, cujus tamen in rebus Slavicis insignis opera atque multa cura est, l. 1. cap. 2. quo de Pomeranis tradit, et Albertus Crantzius Vandal. l. 2. cap. 19. Credoque hinc factum, quod Odera appelletur ditissimus amnis Slavicae regionis: ibidem. Sed magis se explicat Helmoldus lib. eod. rer. Slav. cap. 40. quum refert, *Pomeranos habitare inter Oderam et Poloniam.* Consentit Daniel Cramerus in Chr. Pom. Eccles. l. 1. cap. 1. collat. cum c. 9. cuius eruditionem auxit ornavitque David Chytraeus, vir pro merito laudandus, quanquam acerbe notatus ab Everando Reidano, in parte historiae Batavae. Conf. Io. Micraelius in erudito Chronic. Pom. ex quo observamus 1. Pomeraniam Vandalico-Gotho-Teutonicam, cuiusmodi fuit Pomponii Melae, Pliniique aevo, licet nondum sub Pomeraniae nomine cognita. 2. Venedicam, sive VVendicam, a tempore Iornandis celebratam:

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

3. Saxoniam, ab advenis Saxonibus appellatam. Ut recte existimet Martinus Zeillerus in descript. ducat. Verd. p. 552. non VVendos, sed VVandalos, primum habitasse has oras, tamen Crantzius utrosque identidem confundit, ut ostendisse nos cogitamus, cum edisseremus res Slavicas. Ac utinam eo melius expedivisset hæc Io. Henr. Alstedius Chronolog. p. mih. 298.

(b) Petrus Artopæus arbitratur in descriptione Pomer. vocabulum esse VVenedicæ, originis: *Pomerania*, inquit, *ad mare Balticum sita, a primis cultoribus patria lingua, hoc est, Vandalica, Pomorzi appellata.* Sed perperam hic commutat rationes Vandalicæ et Venedicæ lingvæ, si, ut exponit Iohannes Ravv VVetteranus in Cosmograph. descript. Pomeran. p. 484. more Krantziano loquitur Artopæus. Ne nunc addam, non ferendum esse, quod Vandalos ea significatione, qua Venedos per errorem interpretatur vulgus, indigenas, sive Aborigines ipse nominet, eo quod nemo sit, qui non intelligat, Venedos advenas nominandos fuisse. Chronicon Cario-Petucerianum l. 4. p. 413. ratione derivandi Germanica assequi hoc studet, confirmatque Pomeranos quasi *maris accolæ* dictos esse. Amplectiturque hanc sententiam inter alios David Chytræus in Vandal. p. 4. nec quicquam impedit, ut sequamur. Sunt tamen, qui malint a situ littorali, quem exprimit vetus Saxonicum *Marsch*, ita cognominatos. Eo conf. Rein. Reineccius in histor. de VViperto, Fournier Geograph. l. 3. c. 11. et Io. Micrael. in Chr. Pom. Quod reliquum est, nomen Pomeranorum nusquam mihi obvium est ante sec. XI. VVitechindus Corbeiensis annal. Sax. 1. Detmarus Merseburgensis meminerunt Redariorum, qui tractum, ubi hodie Stargardia est, incoluerunt: nec contra me sentit Crantzius Vandal. l. 3. cap. 4. qui Rethram, quam Adamus Bremensis l. 2. cap. 11. sedem superstitionis impiique cultus idoli Radegast nuncupat, Stargardiam exponit. De Karolovingico ævo omnis posteritas in manibus habet chronica, annales, diplomata, in quibus nil est invenire de vocabulo Pomeranorum: Occurrunt Abotriti, Sorabi, Hevelli, VVilzi, cumque his Smeldingi, sive Simeldingi et Linoves, seu Linones, A. Fran. Pith. ad A. 808. et scriptor Vitæ Kar. M. p. 271. Suurbi, ib. p. 255. sed de Pomeranis nil scio, quod occurrat. Neque est, cur aliter existimem de seculo, quod proximum est, nisi tamen omnis cura, qua in hoc excutiendo usus sum, me fallit: fulcitque sententiam hanc, quod Pomeraniæ insignior portio Slavania usque ad Penem si dicta sit, Alb. Stad. ad A. 971. idem ad A. 984. VVinulos memorat, quorum primos vocat Pomeranos sua ætate Helmoldus l. 1. cap. 2. Nec multo post Slavos subiicit Stadenis, altum vero ibi silentium est de Pomeranis. Quod minime graviter ferendum est, siquidem id subinde in aliis gentibus, et quæ ab una stirpe descendunt, usu venire cognitum habeamus. Damas Alberto VViu.

VViukio Koialovvitzio eos, qui olim Alani dicti sunt, nunc dici Lithua-
 nos: nil tamen in hoc genere neque vetustati, neque laudi gentis decedit,
 si multo recentius, atque opinatur Koialovvicz nomen hoc asseramus:
 plane ut nec Polonorum modestiae displicere potest, quod serius coeperit
 vocabulum hoc, quamquam non ignoro, aliquos vehementer laborare,
 quo Lycophronis Strabonisque Πέλας exponantur hodie qui Polonorum
 nomen ferunt: Georg. Hornius praefat. ad lector. super Boxhornii origi-
 nes Gallic. Id saltem extra controversiam est, POLONORUM, quatenus
 hoc modo expressorum, nomen esse saltem medii aevi. vid. Lineamenta
 Sarmatica nostra edit. noviss. De vocabulo Slavorum, de quo alias pronun-
 ciavimus, vid. Alex. Gvagyinus Sarmat. Europ. At vero non attinet haec
 declarari magis, qui non dubitemus amplius, sub tempus Henrici IV. Imp.
 invaluisse hoc nomen et Sec. XII. usu magis tritum ad posteros dimanasse.
 Theodorus Engelhusus Chronic. p. 169. ante Ruianiam (rectius Rugiam)
 item Vandaliā dictam fuisse admonet, sed explanatius loqui debuit, et
 discernere migrationes, quibus commutatio nominum inducta est. Ior-
 nandis Thurcilingos VVolfg. Lazius interpretatur Rugos, de migrat. l. 9.
 p. 643. Verum non exquisite, quia Iornandes Rugos et Thurcilingos distin-
 gvit lib. de success. regnor. Convenit mihi tamen cum Lazio in ea parte,
 qua spectatur una atque eadem Teutonica origo, neque abnuo societate
 migrationis innui propinquitatem finium: Iornand. d. lib. p. 59. De Rugis
 liquet ex Tacito de M. G. 34. De Thurcilingis colligitur ex Iornande, quos
 tamen cum Thuringis non licet confundere, quum Iornandes iam tum suo
 aevo hos ab se invicem distingvat, vid. de reb. Get. p. 142. Vocabulum He-
 rulorum evolvit in annalibus Nicolaus Mareschalcus. Pomeria, cuius
 meminit Marianus Scotus l. 1. aetat. 5. p. 129. cum nostra Pomerania nil
 commune habet.

§. II. Non quaeram longius, quod scribere institui, et spectabo in-
 primis mores, quibus composuerunt vitam, simplices quidem, et ideo pro-
 cul fraude, (c) ac plane tales, ut neque odio facile, nec ambitione laborarent,
 praeterea ita probi ingenuique essent, ut posteris quoque inveterata harum
 virtutum opinio verterit in laudem, hosque etiamnum incitet exemplo,
 quum videant, quam imitandi viam atque rationem a maioribus accepe-
 rint, praesertim in eo laudis genere, quod ad servandam fidem, ac prae-
 standam hospitibus officia spectat.

(d) Cum varia testimonia oculis contemplor tum praecipue illud Helmodi,
 cuius et insigne iudicium et gravi in hanc rem sententia est, rer. Slav. l. 1.
 cap. 2. qui tantum honorem atque ornamenta Pomeranis tribuit, ut quis
 suspicari possit, falsis laudibus ornare voluisse. Moribus inquit, et hospita-
 li-

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

litate nulla gens honestior, aut benignior potuit inveniri. Quod de moribus dicit, vix est, ut existimem, pertinere ad omnes morum virtutes. Extat scriptor antiquus, et fide dignus testis, qui comprobat, Iulni, quod celebre olim huius gentis oppidum fuit, cives crudeles atque barbaros fuisse. Neque id tantum de Iulnensibus, sed etiam de Pomeranis veteribus, non dicam in universum, generatim tamen et sine adiectione affirmant tabulae Ecclesiasticae Bambergenses, quarum autoritas multum apud me valet, et vel eo argumento probatur quam maxime, quod Otto Episcopus Bambergensis morum gentis optime conscius, et sacrorum ibidem faustissimus praeco, iis materiam suppeditaverit, de quo vid. Conradus Urspergens. ad A. 1024. edit. Argentorat. Abb. Stad. ad A.C. 1118. Atqui vero iis continentur sequentia: *adiit (Otto Ep.) gentem Pomeranorum, gentem trucem, gentem amaram, et idololatricam, quibus pro lege est capitum sensualitas, et religionis horror.* Conf. Cramerus l. 1. cap. 14. Caeterum quod hospitalitatem concernit, praeclare cognitum habeo, communem hanc cum Germanis laudem habuisse, de quibus est apud Iulium Caesarem de bell. Gallic. l. 6. et Tacitum de M. G. cap. 21. Ut hoc indicium sit, Helmoldum eas virtutes, quae inter caeteras quasi familiam ducunt, attingere hic, et in populo aliquin natione et vita insigniter barbaro significantius exprimere voluisse, cuiusmodi tradit hospitalitatem, benignitatem, et quae cum his cognationem habent, fidem, ac veracitatem, quarum sicut egregium apud ipsos studium fuit, ita aequum erat, eo respectu laudari, tametsi, in quantum crudeles memorantur, iustam apud alios reprehensionem incurrant.

§ III. Cum sacra facerent, usque eo religione (d) tacti animi erant, ut numina, quae superstitio finxerat, semper vocarent in partem, quaerentque oraculis rerum gerendarum auctores; abs Radegasto (e) precabantur victorias, errore antiquo, et ad Obotridos quoque, qui nunc Mecklenburgici dicuntur, perlato: Zuantevithi opem invocabant Rugi, (f) ac si aut imminentis periculi sensus esset, aut petendum auspiciam foret, responsum ab eo certissimum, et ad omen futurorum pertinens expectabant, nullo neque solenni omisso, neque ceremoniis neglectis, quibus hunc placarent, quoque maior veneratio esset, caesam ex sanguine Christiano victimam, offerebant, ut una opera et litarent impio simulacro, et odium saturarent in Christianos. De Volgastensibus (g) quorum in parte cultus comperta obstinatio est, traditur, Herovietum Barovietumque habuisse, quos divinis honoribus afficerent, atque eorum benignitate omnia consequi posse se, speravisse, alterique bellorum, alteri opum commerciorumque curam tribuisse.

(d) Nefas erat, vel prope ambitum fanorum, quae inaugurato publicis religionibus ceremoniisque condita erant, moliri aliquid temere, aut facere, pra-

praeter decorum solennis, quod ibi peragebatur, sacri. Aperte Helmoldus, *mira reverentia circa fani diligentiam affecti sunt*, et paulo post, *neque ambitum, inquit, fani vel in hostibus temerari patiuntur*: l. 1. cap. 52. Exemplo est Bernhardus Eremita Hispanus, qui quod impii ritus Pomeranorum indignatione incensus, securi verberaret templi ararumque postes, duriter habitus, fustibusque paene contusus, aegre vitam fuga servavit. Cramerus lib. 1. cap. 11. Ignominiosissimum supplicii, quo sectae religionisque suae adversarios multabant, genus fuit crux, cui affigebantur Christiani, ut miserabili funestoque spectaculo referrent Christum, autorem sui nominis, cui id probro datum esse, facile intelligamus ex Helmoldo, loc. all. Propterea Otto Episcopus Bambergensis ex Pomerania redux, Pomeranos vocavit barbaros, truces, idololatrias, Christi hostes, memor laboris, quem impenderat in reducendam pertinacissimam gentem, quae iam dubius vicibus desciverat, ut colligit ex Alberto Crantzio Elias Reufnerus *Magog. ad A. 1124*. Quo factum est, ut Otto Pomeranorum apostolus diceretur, quod evincere est ex Praesulum Bambergensium, qui hoc titulo illum augent, epistola, anno, ut pro vero accipimus, 1121. post Christum natum scripta. Boleslaus Dux Polonorum aliis literis, quae apud Cramerum l. 1. cap. 13. extant, crudam Pomeranorum barbariem perstringit: et diu ante eum Helmoldus ingenitam genti crudelitatem, ac saturari nesciam exaggerat, l. 1. cap. 52. illo ipso etiam Thraces, de quibus prodidit Florus l. 3. c. 4. Germanosque veteres, ut ex Tacito constat, imitatum, quod humanis hostiis litaret, velut est apud Helmold. d. 1.

- (e) Cur ita sentiam, causa est, quod Helmoldus referat, argumentum victoriae fuisse, si, dum rem divinam facerent, sacrificia addidissent honori Radegasti, l. c. 23. Crantzius Vandal. l. 4. c. pen. Vnde minime dubium est, huic supplicasse, quum victorias peterent, siquidem eidem litarent, si victorias obtinissent. Consentit Ditmarus Episcopus, qui Rehtam, quam ipse Riedegastum vocat, a bellaturis salutatum, et a prospere reversis praemiis honoratam confirmat, 6. p. 136. Quod quin ad Radegastiani idoli, quod illic positum erat, cultum pertineat, non est temere ambigendum. Neque saltem Obotritorum, sed etiam Riadurorum (Redariorum) hoc sacrum fuisse, nullo negotio elicias ex Helmoldo l. 1. cap. 52. et lib. eod. cap. 2. c. 21. c. 23. Redarii enim procul dubio accensentur Pomeranis, et Rehtre velut horum metropolis memoratur. Imago atque effigies Radegasti, qualem exhibuit doctissimus popularis meus H. Bangertus, vid. inter annot. ad Helmold. l. 1. c. 52. Conf. Cramer. l. 1. c. 32. Io. Georg. Schoch. in summar. Chron. Lipsiens. p. 44. Paulus Friedeborn a profano hoc impioque cultu derivat VVendo-Pomeranicae gentis clades atque excidia, Actor. Stetinenf. p. 7.

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

(f) Eo legi potest, qui huius sententiae auctor est Helmoldus l. 1. c. 53. collat. cum l. 2. c. 12. cuius mentem recte assequitur, licet verba paulo aliter quandoque referat Cramerus l. 1. H. E. cap. 41. addatur Io. Micraelius Chron. Pomer. l. 2. p. 166. Quod Svantevithi (al. Zuantevithi:) vocabulum documento est, quantum valeat superstitiosa aemulatio, cuius specimen est apud Rugos, qui obliterato, quem Monachi Corbeienses induxerant, divini cultu, Viti, cuius tanquam Corbeiae Patroni extare hic memoria debuit, producebant nomen, et sequendo literarum vestigia, materiam sumebant augendae superstitioni, ut post Helmoldum longe exposuerunt novitii iique domestici rerum Pomeranicarum Scriptores.

(g) A Rugis, opinor, traditus quasi per manus error est: interim de confictis his Numinibus agit in compendio Histor. Eccles. Pom. l. 1. c. 32.

§. IV. Sed quia coepi commemorare, unde antiqua gentis religio illustratur, opportunum existimo, reddere ex publicis commentariis, quid sit, quod tam sero ipsa mansuefacta fuerit, et perducta ad Christianorum partes, curque ex tam magno temporis intervallo post Saxones pervenerit ad societatem melioris cultus; non modo quod haec quaestio dudum edita est in vulgus, sed etiam, quia multa hinc pendent, quae alibi consulto, hic non nisi negligenter praetermittam.

§. V. Principio arguam obstinationem, qua diu stetit superstitio huius populi, et eo maiora incrementa cepit, quod Christiani, qui arma huc ferebant, non perinde in religionis propagandae, quam praedae agendae spem erecti, (h) multa avarae insolenterque facerent, iactato quidem iure in speciem causae, sed opere ita dissimili contrarioque verbis exemplo, ut grassarentur licentius subinde, et turpius expilarent. Illud vero gravissimum inter has querelas erat, quod, quum tam immodica tributa (i) imponerent nostri, non videri possent consulere pietati, qui aliorum damna in suas utilitates vertent, quique hoc animo essent, ut saltem ditarentur ex incommodis suis. Praeterea mores furantium (k) odio erant, et quia ignoti inter ipsos, invidiam nomini Christiano maximam excitabant; his malis accedebat, quod tot dissidiis consumerent seipsos, nec magis rempublicam, quam eos, inter quos in una republica omnis divini humanique iuris communicatio erat, perderent, ac certe in praecipitem casum darent. Quo rerum statu haec mens Pomeranis erat, discedendum ab horum societate esse, qui talia admitterent, quorum auctores neque ferrent inter suos, et multis modis averferentur. (l)

(h) Ita cum pecuniae, quam Pomeranorum Christo initiandorum studiosiores essent Christiani, valde stiterunt cursum coelestis verbi, ac non modo de sua laude detraxerunt, sed etiam, quae apud barbaros moribus lenitate

tate mixtis efficere poterant, neglexerunt. Helmoldus accusat finitimos Saxones, ut quibus belli laborisque auctoramentum avaritia fuerit, l. 1. cap. 18. et 21. Nec tamen diffidendum est, belli more haec talia facta excusari, tanto magis, quod Pomeranorum saevitia iram Saxonibus excitasset, quod de Rugis annotavit Krantzius Vandal. lib. 3. cap. 23. 24. quoniam non ignoro, eos immodicis exactioibus irritatos, arripuisse saevienti parandaeque necis occasionem, ut ibidem est cap. 23.

- (i) Adhuc sui similis est Helmoldus, qui affirmat, neque Dei honori, neque lucrificandis Deo barbaris studuisse. *Semper, inquit, promiores sunt tributis augmentandis, quam animabus Domino conquirendis* l. 1. cap. 21. Quae Helmoldo, ut gnarus hic omnium et perinde fidelis scriptor fuit, non invidia expressit, sed conscientia facti alieni. Interim conf. Krantzius Vand. l. 3. cap. 18. et l. 4. cap. 24.
- (k) Cramerus l. 1. H. E. cap. 10. nil perinde ac furtum detestatos scribit, et quod mireris, nec arcas, neque armaria clausa habuisse, tum vero defugisse Christianorum societatem, quod apud eos omnia obsignata occlusaque essent metu furum, quos ibi esse acceperant. conf. IV. id eod. c. 22. et Zeillerus in duc. Pomerens. p. 580. qui quidem ex eo allegat in hanc rem caput nonum, quum decimum allegari oportuit. Quod saltem indicio sit, Pomeranos suapte indole petiisse honesta, et ingenio magis, quam institutione cultos abstinuisse furtis, prodito a veteribus Scythis exemplo, qui neque alienum concupiscebant, neque furabantur, Iustinus II. 2. §. 6. 7. contra quam de Holfatis testatur Helmoldus l. 1. cap. 47. artem furandi illic ostentationem fuisse. Nec multum abfuerunt veteres Dani Norvegiique, apud quos piraticam honori fuisse, alibi comprobavimus.
- (l) Neque hoc fingitur sed iterum animadvertitur, asseverante Helmoldo, Henricos bellis distractos, non potuisse intendere animos in tam salutarem atque ad aeterna profuturum opus. Quum enim de Slavis tradit, horum *conversionem, inquit, Henriciani Caesares non modico retardarunt, domesticis videlicet praegravati*; l. 1. cap. 40. Quod quin vel maxime pertineat ad Pomeranos, nulli dubitamus, tum propterea, quae mox de Pomeranis subiicit Helmoldus, tum ob historiae Henricianae contextum, tum ob epistolam sacerdotum Bambergensium, qui Ottonis Episcopi ex Pomerania reditum instantissime flagitabant, propterea quod Henricus V. late vastaret agrum Bambergensem, tum quod Conrado III. regi Romanorum (vulgus imperatorem vocat contra indolem veteris styli Teutonici, in quantum pragmatici) curati huius sacri negotii laus tribuatur, Vbb, Emm. rer. Frisicar hist. ad A, 1147. quoniam iste Vandalos pro Venedis

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

nedis haud scite habet. Verum mitius pronunciandum est de Henrick, ut iam ante nos Monachus Italus Onuphrius Panvinius, quippe qui odii Pontificum dissidiisque Ordinum impediti, suscipere hoc propagandae religionis munus nequiverunt. In qua parte et laudamus candorem Helmoldi, cum domesticis praegravatos scribit, et simul notamus quaecumque studii, Pontificii auctoramentum, quum 1. Caesares, 2. Henricianos appellat: altero enim ex obliquo saltem iuri imperatorio detrahere videtur, altero innuere haeresin, si intelligat Henricianos notione Ecclesiastica, qua nomen ferunt ab Henrico IV. Imperatore, et postulantur criminis, quod dicitur Simonia, quamquam revera tantum convellebant iniustum Pontificis dominatum: I.H. Hottingerus Hist. Sacr. N. T. secul. XII. p. 300. Diversi enim ab his sunt, qui appellati sunt ab Henrico Tholosano, de quibus videatur Io. Gualterius Elench. haeres. p. 538. Io. Micraelius Syntagm. hist. Eccles. p. 765.

§. VI. Sed quamvis haec et talia Pomeranorum animos exacerbassent valde, iamque alienassent (m) prope a Christianis, quo et fugerent horum societatem, et infectarentur mores, tamen effecit cura Polonorum regis Boleslai Crivousti, (n) atque industria Ottonis Episcopi Bambergensis, ut abisterent contumacibus inceptis missumque facerent barbarum ritum, ac Dei beneficio imbuerentur sanctioribus doctrinis. (o)

(m) Etiam paupertas Christianorum sacerdotum invisae, contra pompae splendorisque admiratio fuit, Cramerus H. Eccl. 1. c. 11. et 16. collat. Quod alii insolentiae testimonium putant, alii cognoscendi, quod commercia atque negotiationes in primis ibi valuissent. Helmold. l. 1. cap. 2.

(n) Gabriel Bucelinus monachus VVeingartenensis, idemque rerum VVellicarum, quarum prima initia scite recensuit Io. Baptista Pigna, Alfonso II. Ferrariae Ducis Cancellarius, peritissimus, nucl. part. 2. in chronolog. description. German. ad 1124, Henrico VVelfo, cui Nigri cognomen fuit, iuxtaque Ottoni Episcopo attribuit, laudem collocatae operae in perducendis ad sacra nostra Pomeranis: Polonici vero pariter et Pomeranici scriptores cum Ottone Boleslaum nominant. VVartislanus tamen ante adventum Ottonis Ep. in Germania Christo nomen dedit, Cramerus l. 1. cap. 12. Pertinetque huc expeditio sub tessera crucis, quae non modo contra Saracenos, sed etiam contra Pomeranos atque Mecklenburgicos suscepta est, ut post Slavicar. rerum scriptores annotat Micraelius l. 2. de vet. Pomer. VVend. p. 245. Sed optarem ego hic antiquos testes scriptoresque superesse, qui plene iuxta et fideliter haec acta omnia, in quantum huc pertinent, consignavissent; sed quae gravis Hermannii Conringii quaerela est,

est, not. ad Lampad. p. 189. destituunt Pomeranos domestici rerum veterum scriptores, et pauca sunt, quae ex Saxonis Polonicisque scriptoribus de iis colliguntur. Confer. Crantzius in Vandal. 8. cap. 26. Nec verbum est, quod reperias de Pomeranicis Ecclesiis apud Adrianum Regenvolscium, quum longo volumine tradit origines successionesque Ecclesiarum Slavonicarum; nam et illae ad has pertinent, et adeo praetermittendae non erant, si permisisset institutum auctoris.

- (o) Vid. post Urspergensem, Abbatem Stadensem, Alb. Cranzium, Io. Duglossum Salomon Neugebauer histor. rer. Polon. in Boleslao III. sive Crivousto, Abraham Bucholcer. Ind. Chronol. ad A. 1124. Daniel Cramerus H. E. l. 1. cap. 13. Quamquam vero Pomerani obfirmatis plane animis sub initium essent, victa tamen prius ipsorum pertinacia est, quam Prussorum Livonorumque. De illis vid. Micrael. Chron. l. 2. p. 241. seq. De his Cranzius in Vandal. l. 6. cap. 10. David Chytraeus in Livon. p. 17. illud vero in extremo huius commentationis ab aeo myhtico repeto, atque ex hoc opinor transiisse ad Slavos, sive ut Iohannes Beka, primus ex Christianis rerum Batavarum scriptor vocat, Viltos, unde ortum Pomeranis vendicamus, quod duos Deos, alterum bonum, alterum malum, qui Zeer-neboch nuncupatus est, crederent, Helmold. l. 1. cap. 52. simili prorsus errore, quo Manes Persa multos infecit, de quo vid. Eusebius, Epiphanius, Augustinus, postquam Manichaeae sectae nuncium misit: ut iure cum Leo. M. Magistrum omnis detestandae perversitatis appellaverit.

§. VII. Postquam recensui, quae ad sacra pertinent, eadem fide referam, quicquid de veteri Pomeraniae statu accepi, quamvis primordia, ut reliquarum fere gentium, obscura sint, et paucis, neque certis semper monumentis tradita: si tamen ultimas origines respicio, ac vetustissimos huius terrae habitatores, Gothorum Vandalorumque genus fuisse affirmabo: (p) simulac vero hos incessit migrandi cupido, ut aris focusque patriis relictis, discederent alio, ac peterent Romanorum ditiones, Slavi, (q) quibus ex Sarmatia facilis aditus erat, novam indolem moresque in hanc regionem attulerunt, Slavicamque linguam in posteros transmiserunt (r) ad quos profecti Saxones, hospitioque usi, consuetudine sua paulatim emolliuerunt, et lingua tandem ac legibus suis imbuerunt, et quod Friderici Aenobarbi aeo publicis rebus conducebat, hortatu suo effecerunt, ut Pomerani amicitia, fide atque officio parendi se coniungerent cum Germanis, (s) utroque iam iis accederent, quorum odio antea flagraverant. (t) Ita in ditionem imperii volentes redacti, nec vi ulla, neque armis compulsi, obsequium erga imperatores constans servarunt, et pro lingua Vendica Germanicam receperunt.

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

- (p) De Gothis, Vandalis, et utrorumque accolis Svevis, quatenus migratio illustravit, in compendio prodidit Isidorus Hispalensis, ferme princeps inter seculi VII. scriptores. Mihi hoc loco satis sit attingere, qui approbare volunt, migrasse quidem illos populos, et adisse alienas terras, sed mansisse tamen Aboriginum reliquias aliquot, et a stirpe veteri servatas duravisse. Quod usque adeo confirmat Io. Micraelius, ut credat, horum vestigia et una Germanici sanguinis extitisse nuper in Pomeraniae Ducibus, quod tamen mihi valde dubium, quinimo falsum videtur; neque etiam, quod subveretur Micraelius, obstat dignitati veterum Principum, descendere ex VVendis: neque scio, unde probari contrarium possit, nec assequor, cur hodie pragmatico stylo reges Septentrionis Marchionesque Brandenburgici titulum a Vandalis sumptum gerant, quem tamen a Venedis sive VVendis receperunt, quemque a XII. inde seculo sortiti Dani, postque hos a sec. XIV. Brandenburgici, ad haec usque tempora retinuerunt. Conf. Helmoldus, Crantzius Vandal. l. 3. c. 30. et l. 6. c. 24. Jo. Is. Pontanus l. 5. rer. Dan. Io. Micraelius l. 2. Chron. Pomer. Conring. de finib. Imp. c. 16. Non hic displicet, quod Goldastus scribit de regn. Bohem. l. 1. c. 9. p. 70. primum Lotharium II. inauguravisse, seu ut ipse loquitur, infeudasse hoc titulo Daniae Svediaeque reges: praeterquam enim quod legam apud Stadensem ad A. C. 1163. VValdemarum regna Daciae (ita medio aevo Dania dicebatur, ut recte observat Io. Meursius in notis ad AElnothum. p. 93.) et Sveciae ab imperatore, id est, Friderico I. suscepisse, observo etiam, Kanutum Danorum regem Slaviam, quatenus Obotritos continet, clientelari beneficiarioque iure a Lothario II. accepisse. V. Helmold, l. 1. c. 49. tum vero Rugiam belli titulo sibi assignasse: conf. Zeilerus in Pom. p. 600. 601.
- (q) Seculo VI. finiente, atque adeo a Iornandis excessu, neque impetu, aut uno statim agmine, sed paulatim subierunt in haec loca Slavi: Conf. Io. Fidlerus in reb. Muglensib. ex Cyr. Spang. annus vix definiti certo potest, Micraelius l. 2. p. 140. Saltem pro certo habeo, A. C. circiter 550. Slavos Lechos in Poloniam migrasse, ut Herburtum Vapovium, et plures consentientes habeo, A. C. autem 600. quod seculi VI. finientis notam habet, aut forsan, ut aliis placet, VII. ex his profectos esse, qui hodie Pomerani dicuntur: VViltzi sane, qui origines ad Pomeranos referunt, iam tum IIX. seculo ab his oris ad Albim egressi, bello Karolingico occupati fuerunt, ut liquet ex Annal. Fr. et Conrad. Vrsperg. ad A. 789.
- (r) Linguae Slavicae in Pomerania usum terminavit annus 1404. Io. Isacius Pontanus, et ex eo Zeilerus descript. Pomer. p. 600. postquam enim a seculo VI. desierat lingua Gothica sensim, et successerat VVendica in locum, longo

longo tempore haec valuit, Pomeranosque barbaris propius iunxit, donec sumpto ab advenis Saxonibus exemplo, insignis linguae morumque commutatio fieret, ac seculo XII. parvi fieret, XV. autem profus aboleretur. Id vero hic, ut alibi, dolendum est, quod nil descriptum a veteribus VVendis vel ad qualiscunque rei memoriam superfit. Innuit tamen Mieraelius l. 3. p. 304. Pomeranos, ex quo in consortium Germanici iuris assumpti fuerunt, abrogasse VVendicam linguam. Vtrum decreto publico? Nullum tale factum promulgatumque est. Quinimo ipse Carolus IV. Slavonicam linguam publica sanctione approbat, et eo loco habet, ut praecipiat Septemvirorum filiiis ediscendam. Quo non Bohemiam modo, licet praecipue hanc, sed etiam alias imperii ditiones, ut Carinthiam, Carniolam, Moraviam, Lusatiam, et ut tunc adhuc aliquatenus saltem erat, Pomeraniam respicere mihi videtur. Hier. Megiser. Chr. Carinth. l. 6. cap. 47. Edit. Lipsiensis. Fridenborn. Chr. l. 1. p. 7. An ergo cessavit tractu quodam temporis, et lente ac contraria cultioris linguae consuetudine, atque saltem non usu avitae illius et allatae per VVendos? Nolim temere repugnare, nec diffiteri tamen, linguam VVendicam non esse hodieque tantae in republica Germanica dignitatis, aut necessitatis, quantum olim fuit, neque amplius teneri Electores ad notitiam huius linguae comparandam, neque ea expediri ulla imperii negotia, aut publica confici instrumenta, Limnaeus ad AB. cap. 30. §. 1. Obl. 35. quoniam in regno Bohemiae, quod Austriae haereditarium cessit, adhuc eius pragmaticus publicusque usus sit, ac ipse viderim Pragae tabulas cum Germanica, tum Slavonica lingua regis Bohemiae nomine editas.

(s) Frisingensis Praeful, qui sec. XII. floruit, cuiusque fides insignis est, tradit, Lotharium II. Pomeraniam Rugiamque beneficiaria civilisque imperii lege sibi obligasse: Chron. l. 7. cap. 19. sed ea non tam Pomeranorum proceres, ut manifestum est, quam Poloniae Ducem Boleslaum III. respiciunt, in cuius potestatem Pomerania aliquando titulo belli venerat, Neugebauer l. 3. p. 90. conferendus cum Cyr. Spangenberg. in Querfurt. Chron. p. 207. cui Svantiborus Pomeraniae regulus ob taedium captivitatis finendum paulo ante obsequium, sed non servatum promiserat, Cramerus H. E. l. c. 9. Itaque demum ad historiam AEnobardicam pertinet vera ac solennis inauguratio beneficiaria Pomeraniae Principum, quam describit Albertus Cranzius Vandal. l. 6. c. 14. his verbis. *Igitur venientes in castra Caesaris Principes Pomeranorum ducali nomine, traditis aquilis cum bannerio insigniuntur, factaque de homagio fide, in propria revertuntur.* Recte omnia habent, nisi quod ea, quae de traditis aquilis prodit, crucem historicis figant: nam profus ineptiat, qui putet, aquilas honori insignium genti-

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

gentilitiorum principibus Casimiro et Bogislao datas fuisse. Nam neque vestigium huius rei usquam extat, neque occurrit ullum fide dignum monumentum, nec recordor ullum praeteriti temporis spatium, quo Pomeraniae Principes in insignibus usurpaverint aequilam. Eo conf. Io. Micrael. et Paul. Friedeb. l. 1. p. 36. Ut Chronica, quae contrarium meminerunt, aut recentiora sint nimis, aut hoc ipso evidens indicium falsitatis prae se ferant. Ritus ergo saltem signat beneficiariae inaugurationis, non concessionem haereditarii insignis, quod gryphi volantis imagine expressum est, cuius originem Gothi qui acceptam ferunt, coniecturis indulgent, nec certiora proferunt, qui nescio quo autore a dynastis Gryphiis, quos ex equestri ordine Sarmatarum adferunt, nimis curiose repetunt. Neque huc pertinet Grypus ille, de quo Bongarsius ad Iustinum commentatur XXXIX. 19. Verum enim vero his omnibus missis, subiiciemus tabulam, qua Casimiri et Bogislai genus exhibetur.



* Suantibori maiores, cuiusmodi praebet historia fabulosa, hic non adducimus; laudamus tamen monumenta Olivenfis, ubi olim Principum Pomeraniae tumuli fuerunt. Micrael. l. 2, p. 257. Atque ille ipse est, qui alius dicitur Svanthiborus Magnus: Samuel Sovaletius in orat. ad Philippum II. Pomeraniae Ducem, apud Paul. Friedeborn. 3. p. 65. Idemque plena potestate integram Pomeraniam adeptus est, nulli ulla parendi lege aut clientis fide obnoxius, Cramerus l. 1. c. 9. indicio successione, ac iam paulo ante stabiliti haereditarii iuris; sed quum hoc non contentus, moliri vellet immanentem dominatum, ac libertati superiori adversum, VVendos in se concitavit, ac usque adeo hoc odium auxit ut carceri includeretur, unde liberatus est a Boleslao III. Neugebauer. l. 3. p. 79. Micrael. l. 2. p. 220. 221. De filia eius

eius Slavina, quam Critoni nuptum dedit, nil addimus, cum non faciat ad exprimendas, quas hoc loco intendimus, successionis vices, et conversionem familiarum: perinde ut consulto omittimus Mestevintires filias sub lit. *3* Conf. Micrael. Chr. p. 270.

β. Hi fratres diviserunt Pomeraniam; ceterior *V*Vartislao et Ratiborio obtigit, ulterior Bogulao et Suantipolco: *V*Vartislao fuit fratrum natu maximus, et primus in Pomeranorum gente Princeps Christianus, Ottonisqve Episcopi opera sacris initiatus Helmold. l. 2. rer. Slavic. cap. 4. sed in eo quaedam opinionum dissensio est, utrum in Pomerania, an ante adventum Ottonis in Pomeraniam sacro lavacro tinctus sit? illud asserit scriptor vetus anonymus, et *M*erseburgum nominat, et simul indicat, ibi sacro fonte ablutum fuisse. Conf. *C*ramer. H. E. l. 1. c. 12. Aliud, opinor, sentit *S*yrlebius apud *F*rideborn. allegato loco: At ipse *F*ridebornius nil decidit, remisso tacite lectore ad *C*ramerum, qui iusto volumine haec exequitur. De Ottonis adventu sciendum, repetita vice factum commemorari: priorem *A. C.* 1124. *C*onrad. *V*rsberg. ad *A.* 1124. *M*icrael. l. 2. p. 230. Posteriorem *A. C.* 1128. *P*aulus *F*rideborn l. 1. p. 30. et 33. quoniam *C*hytraeus in *C*hronol. et *I*o. *C*luver. epit. bistor. in *H*enrico *V.* illius epocham ponant ad *A.* 1122. ab utrisque discedit *A*lb. *A*bb. *S*tadensis, et constituit in *A.* 1118. Non inutile hic fuerit, contendere cum his rationibus epistolam *B*ambergensium sacerdotum ob *H*enrici *V.* excursiones in agrum *B*ambergensem, ut nostra sententia est, scriptam anno 1125. qui *O*ttoni *E*p. *S*tadensis non respondet, neque id moramur, siquidem hic obiter, *V*rsbergensis autem cum maiori cura, atque ex professo haec literis mandavit. *V*t commodum festinantis praeli mendum occurrat *S.* superior 3. sub lit. *d.* ubi pro 1121. exprimi debuit *A.* 1125. interim redarguendus hic error est *C*yr. *S*panbergii in *C*hron. *Q*uersfurt. p. 224. qui *L*othario *I*l. tribuit, quod *P*omerani recepissent Christianam fidem. *E*t si enim *L*otharius adhuc imperante *H*enrico *V.* accepit Saxoniae ducatum Helmold. l. 1. c. 35. Tamen id neque *L*othario, neque Saxonibus adscribitur. *A*d. *B*remens. l. 3. cap. 25. collat. cum Helmold. d. l. 1. c. 18.

γ. Annus, quo recepti in imperii senatum sunt, memoratur 1181. *F*rideborn. l. 3. p. 35. qui tamen p. 9. a seipso dissentit: conf. *I*o. *C*luverus ad *A.* 1181. *S*pennerus in *S*ylloge p. 237. At vero *A*ubertus *M*iraeus l. 1. cap. 39. de duc. *P*omeran. refert annum 1182. *I*o. *M*icraelius in *C*hron. *P*om. l. 2. p. 261. ad oram ponit *A.* 1181. in *S*yntaxmate *b*ist. mund. p. 1111. assumit. *A.* 1182. Conf. *I*o. *G*ualter. in *D*uc. *P*om. p. 1064.

δ. Tres fratres, *S*ambor, *R*atibor, *V*Vartislao Cruciferorum *O*rdini, qui nuper in *P*ruссия coeperat, portiones *P*omeraniae quae ad ipsos pervenerant,

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

doneo dederunt, unde postea multa bella orta sunt, *Micrael. l. 2. p. 284. Chytr. in Chronol. p. 500. Fratres Cruciferos vocat, quia in Ordinem adscripti, Cruciferos haeredes scripserunt. At Svantipolus III. excusso Polonorum dominatu, nullo iure fiduciario teneri voluit: Micrael. l. 2. p. 271, seq.*

8. Ad hunc integra Pomerania ulterior rediit, quo ex hinc ad citerioris Pomeraniae duces devolvi iure oportuit: Sed iis haeredem instituit Premislaum, primum Poloniae regem, *Micrael. l. 1. all. p. 288. Paulus Frideborn. l. 1. p. 9. causam adfert, et odium abrogati moris VVendici in Pomerania citeriori eo induxisse Mestovinum, confirmat.*

9. Ab Ottone et Bogislao natae propagines sunt Stetinensis et VVolgastensis. In reliqua genealogiae parte perrexenda post *Dav. Chytracum, Dan. Cramerum, Fridebornium et Micraelium* obvii sunt: praeter hos novitii plerique aut perperam mutant quaedam, aut confundunt. Tum vero ad fabulas accedunt, qui ante Svantiborum continuam Pomeraniae Principum seriem tradunt: inter quos ipse *Micraelius syntagm. hist. mund. l. 3. sec. 12. Geneal. ad p. 111.*

(t) Vix obscurum esse potest, Saxones, qui huc commeaverant, cum agrorum culturam instauravisse apud Pomeranos, tum afflictam prope nutantemque ob tot bella rempublicam opere consilioque juvisse. Sed propterea non dicendum est cum *Bil. Pirckheimero, patricio Norico, et Maximiliani I. consiliario, Pomeraniam antiquorum Ducum, praecipue Lovvenburgicorum ditionem fuisse. Vid. eius opera histor. a Melch. Goldasto edita p. 101.* Non enim qui vestigales facti sunt, protinus subditi censei debent. *Vid. Helmold. l. 1. cap. 36. ubi testatur, Pomeranos cum reliquis Slavis Henrico Saxoniae Duci sub tributo servivisse, non autem memorat in ditionem redactos si vel maxime alii Slavorum, inprimis Obotriti et VVagrii redacti fuerant. Tamen si enim reperiantur, qui asserant, Principes Pomeraniae ex antiqua Gothorum Vandalorumque, atque Germanorum adeo stirpe ortos, tamen nemo haecenus fuit, qui diceret, ex Saxonibus prognatos esse Svantiboridas, in quorum ditione Pomerania quingentis fere abhinc annis fuit, nullo reliquo, quod quidem sciam, Lovvenburgici iuris vestigio. Ne dicam, recentiore esse Ducum Lovvenburgicorum titulum, quam ut veteres Svantiboridarum origines attingat. Dabo alioqui, hodiernos Pomeraniae cives Saxonum saltem maiori parte posteros esse, Duces tamen Pomeranorum semper excipiam. Tantum de Saxonibus addo, eorum adventum vel obscuriorem, atque legibus VVendicis adstrictum, vel solenniorem, et magis liberum honorificumque fuisse: de illo vid. *Adam. Brem. l. 2. c. 12. et ex eo Helmold. l. 1. c. 2. de hoc Cramerus l. 2. c. 2. Micraelius l. 3. p. 308. seq. Atque hoc induxit**

xit Helmoldum, ut scriberet l. 2. cap. 14. *Slavorum regionem dante Deo, totam redactam esse velut in unam Saxonum coloniam.*

§. VIII. Sed quam comiter eos habuit Fridericus I. tam multa indigne successores passi sunt sub Ludovico Bavaro, qui Vckermarchiam (u), quae antiquo iure ad Pomeranos pertinuit, ex formula repetebat imperio et sibi, ac filio Ludovico, (x) paulo ante septemviratus Brandenburgici dignitate aucto possidendam dabat, quo maiores potentiae vires adderet, conquirente interim Ottone I. Stettinense, et poscente restitui in ditionem, quae morte VValdemari II. Brandenburgici (y) rediisse censebatur ad primos auctores, siquidem Otto I. eo loco atque dignitate erat, ut Vckermarchiam, tanquam avitam Ducatus Pomeranici partem, vindicare posset, et eo insuper animo, ut re ipsa vellet. Sed nullae preces atque obtestationes valuerunt, nec modo Vckermarchia, sed etiam principalis dignitas, quae ab aëvo Friderici AENobarbi ad illud usque tempus sanctissime servata fuerat, in discrimine verfabatur, quod Ludovicus Bavarus praeter meritum iudicasset, Ottonem I. Stettinensem, non ut antea imperio, sed Ludovico septemviro Brandenburgico beneficiaria lege obligatum esse. Haec et talia cum Ottonem valde pungerent, cepit consilium defensionis, et decrevit bellum tuendi iuris honorisque causa, cuius curam cum ipse per ingravescens senium non posset, filio Barnimo III. commisit. (z) Itaque hic iussu et voluntate patris, collatis signis cum Ludovico Marchione congressus, diversis praeliis victor, Vckermarchiam tandem recuperavit, et pactione, quam Ludovicus Bavarus Caesar sua auctoritate ratam perpetuamque fecit, publice atque edito posteris iustitiae exemplo confirmavit. (aa)

(u) Nomen Vckermarchiae, quod arcesso ab Veris, sive Vncris, quorum iam tum Sec. X. meminit Regino ad A. 934. tertio decimo seculo invaluit, postquam Barnimus I. A. cto CC. XLIII. titulo dotis Iohanni Ascanio Marchioni hanc ditionis suae partem contulit, ac iurisdictioni Pomeranicae exemptam Marchiae Brandenburgicae adiunxit. Mierael. 3. Chron. p. 323. Paul. Friedeb. l. 1. p. 51. Zeiller. ducat. Pomerens. descript. p. 562. Si vero adiectione Vckerae (unde alioqui Vckaria dicitur, itemque Marchionatus Vckeranus) sumatur, multo antiquius est, et revocatur a Crantzio ad aevum Henrici Aucupis, l. 3. Vandal. c. 16. Non quod ne sciam Marchiae, sive Marchae (utrumque enim, imo et Marcae, scribitur) vocabulum iam diu ante et quidem temporibus Karolingorum, innotuisse, V. A. Fr. ad 788. in primis scriptor vitae Lud. pii p. 347. Regino ad A. 952. sed quia eius non prius meminerunt Saxonicus scriptores, ut innuit dicto capite Cranzius, neque prius meminisse potuerunt, siquidem praefecturas limitum, sive ut formam styli

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

Teutonici fervemus, Marchias regni Germanici, in quantum adhuc meros magistratus, et curationem provinciarum sine haereditario regaliqve iure denotabant, sec. X. instituit Henricus Auceps Germaniae rex, quae postea evectae altius sunt, atqve auctae territorii iure. Interim eo legi possunt Matth. Dresser. in Henrico Auc. Georg. Sabin. de March. Brand. Vbb. Emmius rer. Fris. l. 6. p. 85. quonquam Marchiae Brandenburgicae respectu ab his dissentit VVolfgang. Iustus. Et forsân quis ex Ditmaro Merseburgensê colligat, nondum aetate Ottonis III. imp. haereditarias fuisse: tamen enim iam diu ante, ut ex Luitprando, Sigeberto ac tabulis publicis constat, Ducatus Comitatusqve hac lege censebantur; tamen ante Ottonum Saxonum tempora nec suspicio est haereditiarum Marchiarum, neqve ante tempora Henricorum satis validum argumentum. Ditmarus sane l. 6. p. 152. Thiedricum nominat, qui ab imperatore titulo beneficiario Comitatum Patris sui Dedonis acceperit: *Marchiam* autem Bernhardo Comiti concessam ab hoc iure separat, si ea quidem hoc loco explicanda est notione praefecturae limitis, adversus Boiohemos Vngarosqve institutae. Praeterea coniungit Marchiam cum iis, quae non proprio iure, sed regis nomine possidebat Comes Bernhardus. Significanter ait: *insuper Marchiam, et quicquid VVernizo ex parte regis tenuit, hoc totum Bernhardo Comiti concessum est.* Quo conferri potest l. 1. p. 9. ubi originem Marchiae Misenenfis describit. Interim Adamus Bremensis memorat Marchionem *Sigafridum*, tanquam praecipuum inter Comites, et viros illustri dignitate ornatos l. 2. H. E. c. 32. Quod saltem indicio fuerit, Marchiis serius accessisse dignitatem beneficiariam, atqve adeo prius ipsas, quam ipsarum, ut loquuntur, feuda fuisse. Tum vero Marchias extitisse plures, exempli gratia, Austriacam, Saxoniam, Misenensem, et Brandenburgicam, quarum haec non ut hodie, ita olim primo statim originis suae tempore Brandenburgicae dicta est: contra quam censet P. Albinus Chr. Misn. tit. 9. VVittichindus meminit quidem l. 1. annal. Urbis Brennagburg, quae seqviori tempore Brandenburg, scribi coepit, Ad. Bremens. l. 2. cap. 8. Helmold. l. 1. c. 12. unde postea Marchia contra Henetos nomen tulit, non tamen vel verbum tradit de Marchia Brandenburgensi, quatenus hoc nomine nunc appellatur.

(x) Post Ascanios, inter quos Septemviratus dignitatem, ut diplomata indicant, primus habuit Iohannes I. Bavari, postqve hos Lucelbergenses, postremo Hohen Zollerani Marchiam Brandenburgicam cum annexo Septemviratu adepti sunt V. T. VII. Hist. Aug. P. Bertius l. 2. cap. 13. item Chron. Marchica, et novissima Genealogia huius familiae. Verum impingit Bertius, et ante eum Crantzius l. 3. cap. 15. iste quum Electores in stirpe Ascanio-Brandenburgica veteri numerat a Sec. XII. hic quum a X. Seculo inde dedu-

cit

ducit, errore hodieque in vulgus sparso, et cuius vitandi ratio constare debuit Christiano Adolpho Thuldano part. 3. lib. 9. p. 291.

- (y) Io. Micraelius syntagm. p. 1116. VValdemarum XIV. vocat, quum tamen certum sit, alterum huius nominis fuisse, et in eo ac fratre Iohanne IV. familiam antiquam Ascanio-Brandenburgicam defuisse. Vid. Crantzius Vandal. l. 8. cap. 3. et VVolfgang. Iustus in descript. March. Io. Henr. Alstedius Chronolog. geneal. p. 538. 539. Neque huc pertinet VValdemarus personatus, de quo Vid. Albert. Argentinens. Chron. p. 146. et iterum Crantzius Vand. l. 8. cap. 19. Micrael. Chr. Pomeran. l. 3. p. 334. 335.
- (z) Friedeborn. Chron. p. 51. 52. Nempe asserabant Pomerani Vckermarkiam sibi deberi propter primos acquirentes; Bavarus opponebat neglectam inaugurationis beneficiariae petitionem, et quemadmodum Marchiam Brandenburgicam, licet contra obtestantibus Anhaltinis, ita Vckermarkiam, Prentzloviam et Pafewalcum civitates pro amissis habebat, et quibus hoc magis excidissent Pomerani, quod imperator tanquam supremus beneficiarius Dominus sententiam pro Ludovico filio dixisset: sed Pomerani obtendebant, ius a maioribus semel quaesitum nec ab imperatore alienari, aut interverti sibi posse: de neglecta inaugurationis petitione reponere, nullum contra se allegari dolum posse, qui per continuas imperii turbas, ac bella civilia impediti fuissent petere inaugurationem: quam voluissent, si per ipsos stetisset: praesertim quum eo rerum statu quoque in dubio fuerit, utrum legitimi imperatoris dignitatem consecutus esset Ludovicus Bavarus: ergo non posse non proficere sibi excusationem, velut tempestivam atque idoneam tuendae suae causae. Vid. Micrael. Chron. p. 324. seq. At his adeo non dabat locum Ludovicus, ut quoque iudicii executionem armis festinaret: nec cessabant Pomerani contrahere copias, et defendere ius avitum: sed eventus probavit, Bavaros, quam contra Austrios Bohemosque felices hactenus fuissent, tam nunc infelices esse contra Pomeranos.
- (aa) Primo pugna Cremmensis, deinde publica transactio, tum sententia in Comitibus A. 1338. pro conservando Pomeranorum iure lata lites has finivit: deum accessit A. 1355. Caroli IV. confirmatio, quae quicquid unquam ullo praetextu contra Pomerano-Stettinenses duces in hac causa actum decretumve esset, sustulit penitus atque omni modo abrogavit. Io. Micrael. l. 3. p. 330. 331. 341. Tantum de Ludovico IV. addimus, eum Pontificem Iohannem XXII. egregie, contra Austrios Bohemosque illa aetate ob augustam dignitatem aemulos fortiter stetisse: sed adversus Pomerano-Stettinenses praecipitasse iram, et largitionem in praerudicium factam retractasse postea, atque pronunciasse irritam: ut extra hanc causam temere vellicet nostrum.

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

Io. Bap. Egnacius p. 628. in Lud. Bav. conf. quae differuimus nuper ad hi. stor. aug. usque ad Maximil. I.

§. IX. Sed non diuturna horum temporum quies erat, postquam Hohen Zollerani, qui auspicio Imp. Sigismundi in Marchiam Brandenburgicam sedes transferre coeperunt, Ottonem II. et Casimirum VI. Duces Stettinenses a possessione Vckermarkiae depellebant: nec multo post commissum praelium, in quo multi Pomeranorum caesi, reliqui in discrimine fuerunt, donec vicini Principes ostenderent pacis componendae rationes. Cumque ad tempus conciliati animi essent, ac Pomerani iam in spem venissent servandae concordiae et tranquillitatis, Fridericus Septemvir opportunum ratus iterum experiri armis, ac proferre ditionis suae fines, bellum haecenus intermissum instaurat, et collectis copiis Angermundam intercipit: mox concurritur in oppido collatis signis, acriusque (bb) quam unquam antea, dimicatur: sed vincit praelio septemvir, et simul incerta casuum reputans, rationem sequi mavult, quam fortunam, quae haecenus secundas adversasque res miscebat. Itaque de pace actum, et consilio diligenter habito conventum, ne post hac Pomerani Marchioque bellum facerent, sed obliviscerentur superiorum iniuriarum, ac foedere (cc) fidem amicitiamque devincirent.

(bb) Ex Petro Hastitio Micraelius l. 3. p. 356. seq. cum quo conf. Chr. March. in primis Andreae Angeli.

(cc) Dicitur pactio Templinensis, non quatenus successionem, sed pacem concordiamque mutuam denotat. Caeteroquin prima successionis in Pomeraniam, quae ducatu Stettinense describitur, promissio contigit Ludovico Ludovici IV. Caes. filio; altera, id est, Soldinensis, qua Septemviro Friderico II. cessum est directum ducatus Stettinensis dominium, minime valida fuit, ius suum asserentibus ducibus VVolgastensibus, tanquam proximis agnatis, et post accuratum litis ex iure Langobardico decisae iudicium eo titulo obtinentibus, quo superiores Stettini Duces habuerant. Verum ab obitu Friderici II. iterum haec coepta controversa est, sollicitante Alberto II. Septemviro Fridericum III. imp. de impertiendo sibi dominio beneficiario directo in Ducatum Stettinensem: annuit imperator alienato a VVolgastensibus animo, quod in ius Caesareum vocati, se non stitissent. Renitebantur interim VVolgastenses, possessioni iuris innixi; Septemviro sufficere debuit, nancisci occasionem sumendi tituli Pomeraniae Ducis, et una nancisci occasionem futurae successionis, si quidem Ducatus ille successore vacaret. Tertia demum valuit, quae appellatur Grimmienensis, coaluitque A. 1130. XXIX. Zeillerus perperam signat A. 1130. XXIX. descript. Pom. p. 592. nisi forte typographi mendum est. Autor mantissae ad instr. pac. p. 107. pleraque describit

bit ex Io. Micrael. Syntagm. histor. Neque accurati hic sunt Besoldus et Schonbornerus: nec huius instituti est, evolvere, quid scribat, quidve sentiat Linnæus. Tantum satis fuerit, (1.) observare hic primam originem veri ac indubitati et reciproci, et plene firmiterque iure nixi pacti successionis inter Pomeraniae Duces, ac Marchiones Septemviroque Brandenburgicos: praeterea tituli Ducis Pomeraniae, Ducibus consentientibus atque sine contractione ad Brandenburgicos delati: Micrael. Chr. l. 3. p. 522. Spectataque huc confirmatio Prentzloviensis de A. 1556. (2.) A. 1100. XXXVII. mortuo Bogislao XIV. Georgium VVilhelmum Septemvirum Brandenburgicum ex pacto Grimmiense Pomeraniae possessionem consecutum esse: (3.) A. 1100. XLI. Fridericum VVilhelmum Patris in septemviratu et Pomerania successorem, legatos ad comitia dimisisse, qui respectu ducatus Pomeraniae, Stettinensis et VVolgastensis, ratione quorum A. 1551. Duces ipsi pacti sunt mutuum successionem, sedendi suffragandique dignitatem habuerunt: (4.) A. 1100. XLII. quo Osnabrugae pax coivit, valde commutatas esse rationes El. Brandenburgici, et contra quam pacto successionis constitutum fuerat, Citeriorem Pomeraniam, ac urbes quasdam ulterioris Pomeraniae, satisfactionis belli causa sub ratione atque titulo dominii beneficiarii perpetui iussu ac decreto Imperatoris et imperii pervenisse ad Svedos, facta quoque per legem publicam spe certissima succedendi in ulteriorem Pomeraniam, si contingat extingvi in universum familiae Brandenburgicae mares: de Nova Marchia, provincia Stenbergensi, Vierradem et Lockeniz. Vid. acta Svedo-Brandenburgica, inprimis memoriale ablegatorum et responsum Caesareum eo pertinet, de A. 1662. valitura insuper inauguratione beneficiaria simul cum Brandenburgicis respectu Pomeraniae ulterioris accipienda: ibi. tit. 10. §. titulis: sed praefectura Butovia et Lovvenburgum iam veteri nexu beneficiario referuntur ac pertinent ad Poloniae regnum: Conf. Io. Micrael. Chron. l. 3. p. 523. Paul. Piafecijs Chron. gest. per Europ. ad A. 1633. eodemque iure addictae novissime sunt Friderico VVilhelmo Electori A. 1657. cuius haeredibus masculis obvenient, quatenus beneficia Prussiae regalis: Vid. transactio Vela-viensis A. 1657. 19. Septemb. Nam ratione Prussiae ducalis solutus beneficia-ria lege est, irritis prorsus Kalksteinii machinationibus, de quibus prodit Henricus Brevverus l. 3. hist. decennal. p. 254. ineptis etiam cuiusdam e societate Iesu rationibus, qui in MSP. descript. regn. Pol. arbitratur, Electorem non tam feudatarii (loquitur autem de Prussia ducali) denominationem delevisse, quam ad tempus suspendisse. (5.) ratione Pomeraniae Reges Svediae ius territorii nomine debitum, ac dignitatem imperii Ordinis ex pacto Osnabrugensi statim A. 1100. XLII. vere ac re ipsa consecutos, sed sessionis, quae dicitur, atque suffragii usum serius multo, ac demum in proximis Co-

mitiis

XXXII. ORIGINES POMERANICAE.

mitiis Ratisbonensibus obtinuisse, primo inter omnes Lanckio, qui auspiciis sui regis eum rite ac more Teutonico obtinuit.

§. X. Demum post turbatas saepe afflictasque domi res (dd) Pomerani sub Svedica Brandenburgicaque tutela hodie (ee) refoventur ac crescunt, et non modo pacis per hos partae fructum, sed etiam pristinae felicitatis exemplum habent.

(dd) De calamitatibus, quas sensit tempore belli tricennalis, Vid. Io. Micraelius, Bog. Phil. Kemnitz. conf. Petrus Baptista Burgus in Marr. Svec. German. Rutgerus Hermannides, Adolf. Brachel. Io. Loccenius, Matth. Lungvitz, summatim Theatrum Europaeum. Sed turbatus tunc Germaniae status erat, nec Pomeranorum, sed ex imperio imperii hostium culpa, Pomeranorum enim erga suos magistratus obsequium iam a primo seculo in Romanorum ore fuit, et studium pacis ab antiquissimo tempore laudatur. Vid. Iod. VVillichius ad Germanicam Taciti apud Simon. Schard. T. 1. rer. Germ. p. 66. Causas alioqui facile colligas ex disceptatione Balthasaris Henckelii *de bello tam protectivo, quam vindicatorio Gustavi Adolphi A. 1631.* Stettini ed. et literis publicis fecialibus, ac scripto, cui titulus: arma Svecica: conf. Richard. Zuccheus de iud. inter gent. p. 453. seq.

(ee) Sunt enim tam necessitudine, quam finium propinquitate coniuncti Principes, et respectu Pomeraniae eodem iure atque iisdem legibus imperio Germanico innexi. Praeterea huiusmodi concordia communis salutis interest, imprimis Saxoniae limitis, cuius aditum Pomerania munit. Sed quoniam hoc ita sit, tamen nostra memoria A. 1659. El. Brandenburgicus traducto in Pomeraniam exercitu, armis contra Svedos contendit, effecitque, ut parum a periculo abesset: pertulit tamen impetum constantia et virtute Stetinum imprimis Vrangellii et VVurtzii cura. Vid. Thulden. Hist. Europ. Enn. sec. I. 1. ad A. 1659. usque dum remitteretur ira fortissimi Electoris, et paci mansuetudinique daretur locus, illuc spectat instrumentum pacis Olivenfis §. 26. quo concordiae ac tranquillitas reductae, et quicquid bello occupatum erat, eo iure repetitum est, quo ex pacto Osnabrugensi in fidem potestatemque Svedorum venerat. Similiter de Rugia, quam Svedis imperium addixit A. 1648. Inst. Pac. Osnaburg. tit. 10. §. primo: cautum est a rege Daniae A. 1658. in pace Rotshildensi §. 7. et postquam haec rupta est, iterum A. 1660. pace Septentrional. §. 9. Verum satis haec dicta arbitror, nisi quod existimem addi aliquid in extremo operis posse de origine iuris, atque urbium Pomeranicarum. Ac de illo forte quis eorum sententiam probet, qui nullum ius scriptum prius viguisse apud Pomeranos putant, quam imperatori et imperio Ro. obtemperarent, aut certe priusquam Saxones eo venirent; quoniam hi primo adventus tempore vix ausi fuerint sydere Pomeranis usum suarum

suarum legum, quod ea conditione potestatem habitandi sibi datam esse scirent, ut nil dicere liceret publice de Christianis sacris: temere nec arbitris, id pertinuisse etiam ad leges, quas perinde forsan; ac Christianum nomen odio habuerunt, nisi moribus Pomeranicis comprobatae essent. Eo Vid. Ad. Bremens. l. 2. c. 12, Helmold. l. 1. c. 2. Porro observandum de Stetino est, iure Magdeburgico uti incepisse A. 1243. V. Rutgerus Hermannides in Pomeran. citer. p. 511. et ex eo Zeillerus in Pomer. p. 744. Sed quod urbium primordia spectat, diu ante fuisse colligas, siquidem commemorat Sec. XI. Adamus Bremensis Urbem Iumne, commercii Septentrionalium ditissimam appellans, eod. l. 2. c. 12, Helmold. eod. l. 1. c. 2. cit. Vinnetam, alii Iulinum vocant. conf. And. Sev. Vellei. ad Ad. Bremens. l. 2. cap. 18. quamquam fabulam narrant, qui hanc a Iulio Caesare aut adversus hunc conditam tradunt: Cramer, l. 1. cap. 21. Praeterquam enim quod Iulius Caesar nunquam penetravit in Germaniam magnam, cuius olim regio Pomerania, licet nondum hoc nomine cognita fuit, aliter scribendum alii hoc nomen dicunt, VVollinumque efferunt, quod vulgo Iulinum solent, Mart. Zeiller. descript. Pom. p. 757. cuius *itinerarium Pomeran.* ipse Ricciolus non dubitavit laudare, Geograph. Reformat. l. 1. isagog. p. 26. praeter hanc adducitur ab Helmoldo Dimine, quam l. 1. c. 2. civitatem l. eod. c. 65. munitionem, l. 2. c. 18. castrum vocat. De Stralesundo conf. Krantzius Vandal. l. 7. cap. 5. ac de Stetino 5. Vandal. c. 31. quod non statim cum Sedinis (Sidinis) Ptolomaei caepit, neque origo ante sec. XII. quaerenda, nec DIMIN Helmoldi cum SIDIN confundenda est. Stargardia primum XIII. seculo circumdata est muro: Spectantque huc Gartzium, Greiffenhaga, Prentzlovia, et similes Pomeraniae urbes, de quibus vid. Io. Micrael. in Chron. Pom.

XXXIII. DE BELGARDIA POMERAN.

Quae sint initia urbium, multi cum labore perquirunt: late autem patet ista disquisitione, si vel praecipuas unius regionis urbes complecti cupiamus.

§. II. Illud quidem omnium antiquitatis peritorum vocibus et literis comprobatum est, in Germania transrhenana, et in ea sigillatim parte, quae ad oram maris Svecici pertinet, urbes serius fuisse conditas, atque ibi nulla, vel exigua cultus Germanici vestigia ante S. ec. XII. extitisse.

§. III. Nihilo secius reguli illius ad mare Svecicum porrectae gentis diu post alios Principes clientelam Imperio professi sunt, atque amplum et opulentum